

respondebo. Ego, si hoc optimum ²factu ³judicarem, patres conscripti, Catilinam morte multari, ⁴unius ⁵usuram horae ⁶gladiatori isti, ad ⁷vivendum non dedissem. ⁸Etenim si ⁹summi ¹⁰viri et clarissimi cives Saturnini et Gracchorum et Flacci et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam ¹¹honestarunt, certe verendum mihi non erat, ne quid hoc parricida civium interfecto invidiae mihi in posteritatem redundaret. Quodsi ea mihi maxime impenderet, tamen hoc animo fui semper, ut invidiam virtute partam gloriam, non invidiam putarem. X 30. ¹Quamquam nonnulli sunt in hoc ordine, ²qui aut ea quae imminet non videant, aut ea quae vident dissimulant: ³qui spem Catilinae mollibus sententiis ⁴aluerunt conjurationemque nascentem non credendo corroboraverunt; quorum auctoritatem secuti, multi, non solum improbi, verum etiam imperiti, ⁵si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Nunc intellego, si iste, quo intendit, in Manliana castra ⁶pervenerit, neminem tam stultum fore qui non videat conjurationem esse factam, neminem tam improbum qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto intellego hanc rei publicae pestem ⁷paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quodsi ⁸se ejecerit secumque suos eduxerit et eodem ⁹ceteros undique collectos naufragos adgregaverit, exstinguetur atque delebitur non modo haec ¹⁰tam adulta rei publicae pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium. X

XIII.—31. Etenim ¹jam diu, patres conscripti, in his periculis conjurationis insidiisque versamur, sed nescio quo pacto ²omnium scelerum ac veteris furoris et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quodsi ³ex tanto latrocinio iste unus tolletur, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati, periculum autem residebit et erit inclusum penitus in